



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica

Buchanan, George

Argentorati, M. D. LXVIII.

VD16 B 3125

Psal. CXLI. Domine clamaui ad te, exaudime, &c. Carm. gen. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Vestigia obseruat, scrobesq;
 Obijciens, laqueosq; tendens.
 At tu, salutis præsidium meæ,
 Audi precantem: tu Dominus mihi
 Deusq;, tu me liberasti
 Incolumem crepero è duello.
 Idem impiorum nunc bonus irrita
 Fac uota: sæuam frange superbiam.
 Virusq; linguæ pestilentis
 In Domini exitium refunde.
 Deiecta cælo flammea perfidos
 Procella fundat præcipiti fuga,
 Cæcosq; propellat profundas
 Perpetui in barathri tenebras.
 Linguæ loquacis perfida uanitas
 Nunquam quieto deget in otio:
 Sed impiè dignum patris
 Exitium Domino parabit.
 At impiorum à u Dominus suos
 Et fraude uindex asseret: ut pij
 Numen Dei præsens potensq;
 Perpetuo celebrent honore.

PSAL. CXLI. Domine clamaui ad te, ex-
 audi me, &c. *Carm. gen. 3.*

A Vrem uocanti da parens propere, meas
 Audi preces salutifer.
 Quum uerba fundo tristis, & puras manus
 Attollo, sic preces meas

R v

Manusq; puras respice, ac si thureo
 Odore maue te colam:
 Ac si colam te uictima & libamine
 Sero rubente uespere.
 Freno coërce linguam: ad oris ianuam
 Fac excubet custodia.
 Fac mens sequatur recta, fac in lubricam
 Ne flectat erroris uiam.
 Fac ne scelesto gaudeat coetu, neq;
 Mens fruatur impia.
 Me malo iustus increpet, me uerberet,
 Quam palpet impius, comam
 Quam rore nardi spargat. impij, precor,
 Et impiorum praesides,
 De rupis altæ quum ruent specula, sui
 Supplicia sceleris ut lauat.
 Tum subeat animum conscium, salubriter
 Quod me monentem spreuerint.
 Sic mortis horror ossium compagines
 Mihi laxat, ut caesa iacent
 Fagi per arua fissa cuneis fragmina.
 Tu sanete rector caelorum,
 Spes una nobis es salutis, unicum
 Agnoscimus te uindicem.
 Vitam tuere ab impiorum cassibus,
 A fraude quam struunt mihi.
 Compos salutis impios fac in sua
 Cernam ruentes retia.

PSAL.